



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

56. Inuestitura Ioannis Isenburgici Abbatis S. Maximini, quam per Procuratores à seipso tanquam Archiepiscopo & hac in parte Cæsareo Commissario accepit, Anno MDXLIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

& subditi esse velitis & debeatis sine quacunque oppositione, dilatione, impedimento & difficultate, in cuius rei testimonium Nos Richardus Archiepiscopus prædictus, Sigillum nostrum hisce litteris curauimus imprimi, Datis Palatioli die Martis post Dominicam Misericordiæ Domini, Anno Christi millesimo, quingentesimo, vigesimo sexto.

56.

Inuestitura Ioannis Isenburgici Abbatis S. Maximini, quam per Procuratores à seipso, tanquam Archiepiscopo, & hac in parte Cæsareo Commissario accepit, Anno MDXLIX.

IOANNES Dei gratia sanctæ Treuirensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sacri Roman. Imp. per Galliam & Regnum Arelaten. Archicancellarius, & Princeps Elector, ac Commissarius perpetuus à Serenissimâ inuictissimaque Cæsareâ Maiestate ad infra scripta deputatus, ad futuram rei memoriam vniuersis & singulis præsentibus & futuris notum facimus, Cùm Serenissimus & inuictissimus Princeps & Dominus, Dominus Carolus Quintus Romanorum Imperator semper Augustus, Dominus noster gratiosissimus iam pridem vestigijs Antecessorum suæ Maiestatis diuorum Imperatorum & Regum inhærendo, Nobis & Successoribus nostris: vt scilicet Treuironum Archiepiscopo, pro tempore Abbati Monasterij S. Maximini extra muros Ciuitatis nostræ Treuiren. Ordinis S. Benedicti, Regalia, Temporalia & feuda quæcunque sui Monasterij concedere, deque eisdem Abbates ipsos infeudare, seu inuestire, Imperatoris seu Regis nomine & auctoritate valeant perpetuo indulserit, vt in Imperialibus litteris nobis, Ecclesiæ nostræ & Successoribus nostris nuper datis claret, Sanctissimus verò Dominus noster, Dominus Paulus Papa Tertius motu proprio & ex certâ eius scientiâ dudum prædictum Monasterium Sancti Maximini nobis quoad viueremus, vnâ cum Ecclesiâ Treuirensi tenendum & possidendum eum gratiosa dispensatione commendauerit, prout in litteris Apostolicis desuper editis latius continetur; Ita quod duæ qualitates, & diuersa lura siue Officia, perpetui scilicet Commissarij & Commendatarij, hoc tempore in nostra persona concurrant, nosque vt Commendatarius propterea Venerabilem ac validos Dominos Ioannem à Petra Canonicum & Archidiaconum maiorem in Ecclesia nostra Treuirensi prædictâ, atque Henricum à Buchel Iurium licentiatum ac dicti Monasterij in temporalibus Officiatum, in Procuratores & factores nostros constituerimus, quibus dedimus in mandatis vt iuxta constitutionis suæ tenorem, dicta Regalia, Temporalia & feuda, sicut hætenus de antiqua & approbata consuetudine est obseruatum, rite & legitime procuratorio nomine peterent & reciperent, ac fidelitatis & obedientiæ Iuramentum debitum præstarent, vnde præmissorum intuitu nec non vigore huiusmodi Constitutionis; Et ne, vel Monasterium ipsum, aut Sacrum Rom. Imp. in Iurib. suis aliquatenus defraudentur aut damnum aliquod incurrant, Comparuerunt coram nobis, vt perpetuo Commissario, præmentionati Procuratores legitime constituti, prout de eorum mandato, publico instrumento per Notarium publicum infra scriptum desuper rogatum confecto & subscripto fidem fecerunt

legi

legitimam, & nos, vt Commissarium in his perpetuum deputatum, reuerenter, instanter, & humiliter requisierunt & petierunt, quatenus ipsis Procuratorio nomine prædicto Regalia, Temporalia & feuda Monasterij S. Maximini (quod inigne S. Rom. Imp. membrum existit) quæ ab eodem Imperio pro tempore ibidem existentes Abbates antehac habuissent & tenuissent, & tenere debuissent, concedere, Ipsosque de eisdem nomine, quo supra, infeudare & inuestire dignaremur; Nos igitur, vt, & tanquam Cæsareæ Maiestatis atque S. Ro. Imperij in hac parte perpetuus Commissarius, recepto prius ab antedictis Procuratoribus debito & consueto fidelitatis, subiectionis, & obedientiæ iuramento in manibus nostris, & in vim mandati eorum præstito, vigore concessionis & indulti Imperialis, nec non autoritate prædictis, eisdem Procuratoribus instanter presentibus, nomine procuratorio Regalia, Temporalia et feuda huiusmodi concessimus, ipsosque de eisdem, nomine quo supra, infeudauimus, et inuestiuimus per præsentem, decernentes eisdem nomine et autoritate præscriptis, quæ nos tanquam Commandatarius, siue Procuratores nostro nomine in omnibus & singulis Monasterij prædicti Oppidis, Suburbis, Vicis, Pagis, Castris, Castellis, Curis, Villis, Dominiis, Territoriis, & districtibus, etiam fluminibus, ripis, & locis aliis diuisim aut coniunctim, Regalia, temporalia & feuda huiusmodi cum suis honoribus, præminentis, libertatibus, priuilegiis, prerogatiuis, iuribus, consuetudinibus, obseruantis, pertinentis & attinentis quibuscunque & qualibuscunque, metoque & mixto Imperio ac exercitio Iurisdictionis temporalis exercere & habere, illisque vti valeant & possint, quemadmodum Prædecessores Abbates prædicti Monasterij habuerunt & exercuerunt, illisque vsi sunt, seu exercere, habere, & vti quomodolibet potuerunt & debuerunt, Mandantes propterea nomine & auctoritate præmissis, vniuersis & singulis Vasallis & fidelibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Equitibus, & Ministerialibus, Gubernatoribus, Reoribus, Burggrauis, Schultetis, Maioribus, Præpositis, Iusticiariis, Centurionibus, Aduocatis & Officialibus, Ciuibus & Oppidanis, Suburbanis, Colonis, Curtariis & Subditis quibuscunque prædicti Monasterii, cuiuscunque dignitatis, gradus, Status seu Conditionis existant, Quatenus nobis, vtpote Commendatario, tanquam vero, naturali, recto, ordinario & legitimo suo Domino, seu Procuratoris nostris, nostro nomine in omnibus & singulis, Regalia, temporalia, & feuda huiusmodi, merumque ac mixtum Imperia, ac temporalis Iurisdictionis exercitium, seu alia præmissa quomodolibet concernentibus, debite & reuerenter obediant, & pareant; omnibus, contradictione, difficultate & impedimento planè postpositis: Iure tamen Imperii & aliorum alias, & Ecclesiæ nostræ semper saluo; In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præsentem litteras nostras exinde fieri, & per Notarium publicum infra scriptum subscribi, Sigillique nostri iussimus & fecimus appensione communiri. Datum & actum in Oppido nostro Munstermeinfelt, Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, quadragesimo nono, die Martis, vigesima quinta mensis Iunij, præsentibus ibidem, generoso, nobilibus ac validis viris, Domino Guilhelmo Iuniore de Seyna Comite in Wittgenstein, Georgio à Ratzenburg, atque Philippo ab Hunberg testibus ad præmissa vocatis specialiter & requisitis.

De mandato Reuerendissimi Dñi, Dñi Archiepisc. Treuren. Principis Electoris ad supra scripta Commissarij Imperialis perpetui deputati.

Ego Conradus Falck à Kuba Sacris Apostolica & Imperiali autoritate Notarius publicus, manu propria subscripsi.